

denominatur *Logicus*; sed *ectype*, quatenus methodus præceptorum est conscripta juxta *Logicam* habitualem in mente alicujus authoris, ut Aristotelis, tanquam quoddam archetypum. Ergò pro diverso considerationis modo *systema Logicum*, & habitus *Logicus*, archetypi & ectypi nomine veniunt apud varios authores, quatenus vel *Systema habitus causa* est, vel habitus *Systematis*. Sequitur in proposito **Vocabulum** axiomaticum *Synonymum Logicæ*, videlicet *Dialectica*; quæ **Dialectica explicatū.** vox itidem Græca est, derivata à verbo *ἀλέγεσθαι*, disserere. Sicut autem λόγος, ita & *ἀλέξις* est duplex, interna & externa. De internâ accipe illud Homeri *Iliad.* λ.

*Ἄλλα πή μοι τῶν φίλων διελέξαθε θυμός.*

ubi brevium scholiorum author exponit *διελογίσατε* & *κνεγοῦντο*. Huc pertinet, quod *Snellius l.i. Dial.c.1.* dicit, quod *ἀλέγεσθαι*, interprete Platone, sit τῷ λόγῳ χρῆσθαι. Quod hæc ipsa vox etiam significet dissertationem externam, non runt jam primùm initiati sacris Lycei Græci, qui nondum ære lavantur. Hoc verò altioris est indaginis, num *Dialecticæ* vox idem importet, quod *Logicæ*? Hic distinctè est respondendum. Aristoteles infinitis locis *διαλεκτικῆς* vocem pro certâ tantum *Logicæ* parte usurpat, eā nimirum, quæ tractat de *Syllogismo Dialectico*, seu contingentí, quam & *τοπικὴν* vocat, sicut contrà huic oppositam *ἀναλυτικὴν* & *διποδεικτικὴν*, quæ tractat de *Syllogismo apodictico*. Rariūs hâc voce utitur pro totâ disciplinâ, ut *1. el. Sophist. cap. 2. 1. Rhet.c.1.22.23. & 1. Metaph.c.4. & 1.13.c.4.* Aristotelem sequuntur omnes fere Peripatetici. Sed Ramus & Ramei, seculi Ciceronem & Rodolphum Agricolam, docent, *Logicam* eodem sensu dici *Dialecticam*, idque propriè. Sed Peripatetici nonnisi synecdochicè *Dialecticam* significare totam disserendi artem contendunt. Aliás dicitur *μεθοδικόν*, ab Aristotele, ut Laërtius & Simplicius referunt: *Platonii in Theat.* dicitur *τέχνη λόγου, ars rationis*: Ciceroni *ratio disserendi*. Sed satis de definito: videamus de genere proximo Logices.

**Artis vocabulum est ambiguum.**

## 2 Logica est ars.

Artis vocabulum est *ἐν τῷ πολλῷ λεγομένῳ*. Sumuntur enim latissimè & strictè. Latissimè pro quovis systemate, Hoc sen-